



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De pii Constantini patre, & Diocletiano, & Maximiano persecutoribus.  
Cap. XLVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

Imperatoris ipsius manu scriptas, ad presentem hanc nostram historiam necessario arbitramur adiungendum, uti audire ipsum imperatorem videamur, idem illud hoc modo quasi omnium hominum auribus inculcantem.

*Victor Constantinus. Max. Augustus, provincialibus Orientem incolentibus. S.*

*Constantini ad provincias contra errorem multiplicis deorum cultus decretum, & de virtute & vitio prefatio.*

CAP. XLVII.

**Q**uæcunque firmissimis summisque naturæ legibus continentur, ea omnia providentiæ & diuinæ solertiæ per ipsorum descriptionem diuinitus ordinatâ, satis illustre specimen omnibus dant. Neque vlla existet dubitatio, quin accurata synceræ rationis, & rerû simul incernendi sensum incurrentium comprehensio, vno veræ & perfectæ virtutis subsidio adiuncto, sit eos (quorum animus, scientiæ quasi vestigiis recta insistens, ad illum finem fertur) tandem ad dei cognitionem deductura. Quapropter quisque vir prudens non aliquando animo conturbetur, cum multos animaduertat, contraria vitæ instituta confectari. virtutis enim decus in occulto lateret, si non vitiositas, vitam peruersam & insolentem illi, tanquam ex aduerso respondentem opponeret. Verum quod & virtuti corona sit proposita, & iudicio dei summi omnium moderatoris coerceatur vitiositas, ego quoad fieri potest, iuxta eam spem, quæ ea de re meo in animo insidet, perspicuè vobis omnibus aperire conabor.

*De pii Constantini patre, & Diocletiano, & Maximiano persecutoribus. CAP. XLVIII.*

**I**mperatores, qui ante hoc tempus ad Reipublicæ gubernacula federunt, propter agrestes, credo & inhumanos mores, exhæredati sunt. Atque ut pater meus, admirabili cum pietate, in omnibus suis rebus gerendis, Deo patre inuocato,

K k 2

solus

EUSEBII DE VITA

solus clementiæ opera executus est: Sic reliqui omnes, infano animo & furioso affecti, ad immanitatem potius, quàm humanitatem suas curas & cogitationes contulerunt: Quæ sane, illis regnantibus, vera religione euerfa, vehementer creuit. Crudelis enim eorum nequitia usque eò exardescere cœpit, vt cum omnes res diuinæ pariter atque humanæ pacatæ & tranquillæ consisterent, intestina persecutionis bella ab illis excitarentur.

*Quod Apollinis oracula, qui propter iustos homines responsa reddere non potuerat, persecutionis causa extiterint. CAP. XLIX.*

**A**Pollinem autem id temporis, ex antro quodam & tenebricoso recessu, non ex sacerdotis ore hoc oraculum edidisse ferunt: iustos, qui in terris versabantur, impedimento ipsi fuisse, quo minus vera loqueretur: & propterea falsa oracula ex tripode edita esse, indeque etiam factum esse, vt comam dmitteret. Oraculo igitur hoc modo exagitato, hominum malitia de eare conqueri cœpit. Sed videamus ista, quem ad exitum venerint.

*Vnde truculentissimus tyrannus ansam sibi arripuerit, ad exquisitissima in Christianos supplicia comminiscenda. CAP. L.*

**T**E iam deum altissimum confessor me verum dicturum. Audiebam cum iam puer admodum essem, eum qui illo tempore, principem locum inter Romanos imperatores obtineret miserum, planè miserum, errore cecatam, à satellitibus suis curiosè inquirentem rogasse, quinam essent illi in terris iusti: quendamque ex varibus suis responsum dedisse, eos esse Christianos. Tyrannem autem responsum illud tanquam mel ore auidè arripientem, gladios, qui erant ad iniuriam vlciscendam excogitati, contra sanctos viros omni labe & reprehensione carentes intentasse. Extemplo igitur mandata crudelibus sicariis, quorum manus erant cæde & sanguine respersæ, data esse: iudicesque missos, vt celeres animi  
motus